

DE HORIS

De latitudine, ac longitudine regionis.

Latitudinem regionis, uel ciuitatis per gradus integros, uel minuta etiam, atque meridianorum distantiam ab uno loco ad alium, per horas, & minuta, siue ab urbe Veneta in secunda, siue in priori à Tubinga (hoc. s. pro annis ante. 1551. inclusiue, illud pro futuris exinde temporibus) ex utraque tabulae descriptione agnosces, qui quidem horarum ac minutorum numerus (ut moris est) horis quibuslibet radicum planetarum coniunctionum, atque oppositionum, necnon aspectuum Ephemeris cuiuslibet ascriptis si nota .A. apparuerit addendus, si littera .M. minuendus extabit, Vbi uero dato horarum ac minutotum numero ad easdem met horas & minuta proportionalem planetarum motum ex diurno elicere libuerit; tunc quid superius addendum fuerat pro aspectibus planetarum, hic modo minuendum extabit, & econuerso. Latitudinem uero loci cuiusuis certam hoc pacto agnosces. Cum namque eadem sit distantia uerticis puncti ab æquatore, & æqualis sit semper altitudini, aut eleuationi poli borealis in septentrionali plaga supra horizonta quemlibet: hanc ergo exploraturus, per quadrantem, uel aliter altitudinem Solis in meridie diei cuiusuis edisce: a qua; si Sol in quopiam signorum fuerit borealium declinationem ueri loci solis ex tabula declinationum partium zodiaci acceptam subducito: Sin uero signorum aliquorum australium partem calcauerit, declinationem eandem altitudini prædictæ sedulus adscito: & quod collectum, uel residuum fuerit, uel ipsa eadem altitudo Solis (dum in capite Arietis, uel Libræ præcise fuerit) eleuationem æquatoris supra horizonta ipsum certius indicabit: Quæ à nonaginta gradibus deinde surrepta, latitudinem ipsam regionis relinquet. Nocturno non minus tempore per aliquam stellarum fixarum, cuius certam declinationem habueris, hoc idem experiri licebit, dum. s. habita, ut supra altitudine ipsius, huic declinationem stellæ, cum meridionalis fuerit, addideris, uel ab eadem cum septentrionalis extiterit, eduxeris, ac reliquum à nonaginta gradibus æquæ subduxeris: in residuo enim latitudinē ipsam regionis aspices. Et hoc in stellis tantum, quæ oriuntur & occidunt. In reliquis namque, ut in lunari globo ob diuersitatem aspectus, breuitatis gratia, impræsentiarum normam hanc prætermittendam duximus: cum prædicta negotio huic breuiter licet, dilucide tamen, enarrata sufficiant.